



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

31. Feria 5. Domin. 3. Epiph. Quomodo via ad cælum sit arcta, & tamelata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

## MEDITATIO XXXI.

Feria 4. Dom. 3. Epiph.

*Quomodo via ad caelum sit arcta, & tamen lata.*

**A**spiciam D. IESUM ad quaestionem inutilem (si pauci salventur) taceant, sed, quod magis erat necessarium, iter ad salutem ostendentem. Petam illud assequi.

*Conf. 1.* Si regnum Dei est coelestis beatitudo, ad eam intratur per angustam portam: quia praecipua naturalia propriae iustitiae non sufficiunt, sed necessaria est Fides Dei. Et haec via arcta est. 1. Quia praecipua credere difficilia valde, omne rationem humanam superantia. 2. Quia non minima difficilia facere praecipit, ut sunt poenitentia, subijci, abnegare se, diligere Deum ex toto corde, in omni virtutum genere exercere; propter ea quod ad regnum gloriae non eatur, nisi per regnum iustitiae, seu virtutis: virtus autem versatur circa difficile & arduum, idque non nisi per Christum: *Ego sum ostium, per me quis introjerit, salvabitur; Ioan. 10.* ostium valde humile; ut nisi efficiamur sicut parvuli, non simus intraturi per illud in regnum caelorum. Verè igitur: *Regnum caelorum violenti rapiunt illud, Matth. 11.* Grandis violentia in terra genitos caelum quaerere.

rere, & possidere per virtutem, quæ non tenuimus per naturam, inquit hîc D. Hieronymus.

*Conf. 2.* Quomodo Dominus tam arduum præceptum attemperet, nominando totam vitæ Christianæ difficultatem portam angustam. Angustam quidem, sed portam: quia in porta non sistitur, sed transitur ad domum: arcta via, sed non civitas: strictum iter, sed non mansio; angustus transitus, sed non portus. Unde manet, jugum Christi esse suave, & onus leve, plenumque requie: quia onus præsens collatum ponderi æternæ gloriæ est momentaneum; quia gustatâ requie spirituali, suave fit omne asperum: quia omnia sæva & immania propè nulla efficit amor, qui angustam portam in progressu dilatat: quia animosior fit miles, cum videt Principem labores admirantem: quia Luc. 13. alterius vitæ bonis multi serò provocati, quærent intrare, & non poterunt. Stultissim<sup>o</sup> igitur sit, qui itineris difficultate perterreatur.

*Conf. 3.* Ad quatuor capita difficultates superandas reduci. 1. Respectu operis. 2. Respectu naturæ fragilis. 3. Respectu pravæ consuetudinis. 4. Respectu tentationis. Reflectam me ad præteritas difficultates meas, ex his quatuor fontibus ortas, quomodo me in ijs gesserim, & deinceps gerere velim, si quæ oriantur, impressis altè memoriæ verbis Do-

56 FERIA 5. DOM. 3. EPIPH.

mini, Matth. 7. Intrate per angustam portam  
quia lata porta & spatiosa via est, qua ducit  
perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.  
Quam angusta porta & arcta via est, qua ducit  
ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.

MEDITATIO XXII.

FERIA 5. DOM. 3. EPIPH.

De precepto gratie gratum faciente.

**A**spiciam parvulum, qui symbolum est  
innocentiae, à D. IESU ad imitandum  
propositum. Petam gratiam gratum facien-  
tem unicè necessariam.

*Conf. 1.* Triplicis generis homines mundo  
admirandos. 1. Prophetas. 2. Miraculorum  
patratores. 3. Dæmonum ejectores: nihilo-  
minus ignibus æternis ex ijs adjudicandos:  
quia gratias quidem gratis datas ad aliorum  
non propriam utilitatem ordinatas habue-  
runt, sed gratijs interea gratum facientibus  
caruerunt, de quibus ait D. Chrysoſt. hom. 25.  
in Matth. Sed & ille, qui fide multa etiam splen-  
dit & claritate signorum, nec tamen aliquid in  
vita boni operis exercuit, à cœlestibus similiter  
januis repellitur. Addit S. August. Tr. 2. in  
Ioan. Epist. Si confiteri vultis & non amare, in-  
cipitis demonibus similes esse, qui confitebantur  
filium Dei, & repellebantur.

*Conf. 2.* Quidnam sit quod impediatur ho-  
mines